ORATIO
HABITA
In eiſdem Provincialibus Comitiis

A

P. M. EMMANUELE
PISACANI

Sacræ Theologiæ Regente in hac eadem Civitate Beneventi.

BENEVENTI MDCCXXV.
Ex Typographia Archiepiſcopali.

Superiorum Permiſſu.

ORATIO

HABITA

In eiſdem Provincialibus Comitiis

A P. MAG. EMMANUELE PISACANI.

Sacræ Theologiæ Regente in hac eadem Civitate Beneventi.

QUæ ſingula egregiis ad dicendum ſe conferentibus viris timorem facere conſueverunt : Adm. Rev. Patres, ea mihi in hoc Orationis aditu, qui ſemper optimo cuique maximè patuit,ita ſe ſe hodierna die obiiciunt univerſa, ut ab hujus ratione conſilii meam adhuc voluntatem,meæque vitæ inſtitutum ab ineunte ætate ſuſceptum non immeritò prohiberent. Sive enim temporis anguſtias, ſivè hujus amplitudinem loci, ſivè audientium dignitatem, ſummo probatiſſimorum viro-

rum astante consessu, sivè ipsam Orationis materiam, dicendique conditiones sedulò propendamus, ne dum commotionis aliquid afferre videntur, verum & sic nobis eodem tempore de ingenio, de virtute, de moribus, ornamentisque omnibus in hoc magnarum rerum articulo periclitandum. Si quisquam est, qui in postremis hæc omnia deferat, eum necesse est, in maximarum, earundemque toto Orbe notissimarum rerum ignoratione versari. Perspicuum valdè est, neminem hujus authoritatem loci contingere ausisse, nisi perfectum ingenio, elaboratum industria, vergentem ætate, omniumque rerum, tum humanarum, tum divinarum periclitatione probatum. Ea est disciplinarum, atque artium specimine venustata amænissima hæc Beneventi Civitas per tot annos Summi nostri Pastoris industria, ac sudoribus exculta, quò non gloria modò, & sui nominis splendore, verum, & omnes admiratione compleverit. Quarè mihi admirandum jure video, quod in hac insolita dicendi ratione, causa talis mihi oblata est, qua cum vobis omnibus, quos ætate, consilio, prudentia, doctrina, ac dignitate ulli subesse non ignoratur, mihi congrediendum sapienter est de re tantoperè ad bonum, procurationemque nostræ Provinciæ pertinente, ut haud sciam, an ullum sit eorum, quorum pro vestra dignitate curam habetis, quod singulari quadam, & maturiori sedulitate magis indigere videatur. Dicendum est enim de summo, singularique beneficio a Pontifice Optimo Maximo Benedicto XIII. in nostram Provinciam collato, de ejusdem, inquam a Carmelo Majori Neapolis disiunctione, jam usque ab antiquis temporibus ex majoribus nostris adamussim peroptata, & de consulta Superioris nostri propter hanc causam declaratione. Hujus autem Orationis difficilius est principium, quam exitum invenire. Sivè enim Summi Pastoris benevolentiam, sivè difficiles, quæ in superiore desiderantur partes, expectemus, ardua quæque, ac diffi-

cilia

cilia nobis obveniunt universa. Quæ quidem omnia diligentissimè expendens, ita commovebar animo, facilè, ut, hoc potuerim abstinere consilio, nisi me huc, summa de vestra singulari humanitate concepta spes, & magna quædam approbandæ vobis, sin minus eruditionis, at certè voluntatis meæ cupiditas, impulisset. Quapropter, & cujus rei causa in hunc locum ascenderim, & ad quos verba facturus sim, non ut vos commonefaciam, singulari a natura dexteritate ornatos, ingenii solertia, ac sagacitate præmaturos, magno rerum agendarum usu versatos, diuturna, assiduaque regiminis administratione præstantes, verum quo Summi Pastoris in nos omnes a Carmelo Majori Neapolis disjunctos singularis beneficentia, & benignitas, ac præstantissima animi ornamenta, politiorisque vitæ rationes, quibus ex hujusmodi dissociatione, excultus superior sit, innotescant. Ignoscite attamen quæso, si quid paulò liberius dixero; non enim ea nunc res agitur, ut auribus serviendum sit: dicenda quæ urgent, quæ tempus, quæ rei magnitudo expostulat. Et profectò si quis unquam fuit in Terris Princeps, qui propter munificentiæ, ac amoris amplitudinem exquisitissimis honoribus afficiendus esset, eum se jam nunc in ipso totius vitæ cursu Benedictus XIII. Pontifex Maximus præbuit, nihil, ut de eo tam honorificè dici possit, quid jam pridem beneficentia ipsius in omni genere spectata superarit. Si quis subtilius instituat, ità reperiet, multis sæculis nullum extitisse, qui tot, tantaque in universam Christianam Rempublicam contulerit beneficia. Revocavit veterem Ecclesiasticam Disciplinam, que ita jam obsoleverat, vix ut ejus imaginem in veterum scriptis agnosceremus. Concilio Romæ celebrato, Apostolorum tempora, quæ improbissimus quisque, aut eludere, aut perrumpere umquam destitit, innovavit. Quantum ei prudentiæ, & acuminis ad videnda ea, quæ ad Christianæ Reipublicæ augumentum, utilitatemque spe-

ctant, quantũ animi, & libertatis ad proferenda quę recta sunt, quantum authoritatis ad eadem obtinenda prò communi, omniumque utilitate. Jam eum ab omni avaritia longissimè absuisse, & liberalitate, ac beneficentia excelluisse, & res ipsa loquitur, & omnis, qui eum agnoscunt, confitentur. Cui rei argumento est, & innumerabilium privatorum inopia sublevata, & infinita illa vis pecuniarum, qua omnibus, sivè infirmitate, sivè paupertie, aut periculo aliquo pressis, ac laborantibus sine ulla cunctatione accurrit. Finem umquam Oratio mea inveniret, si omnia, & singula tanti Pontificis gesta ad populorum utilitatem, enarrarem. Una prò omnibus Beneventana hæc Civitas loquatur, quoties ruinis oppressam restauravit, Ædificia funditus extruxit, Templa condidit, Altaria erexit, Ecclesias ditavit. Quinam est Civis in hac Urbe, quem, vel beneficiis non decorasse, vel dignitatibus, aut honoribus non cumulasse, vel sua liberali munificentia nòn affecisse, pro comperto omnibus habetur? Quot Episcopali Infula ornavit, quot divitiis auxit, quot Viduas, aut Virgines periclitantes sua pecunia collocavit, quot fama consumptos aluit, quot necessitate oppressos erexit, quot nudos denique vestivit? Nullum adhuc regularium Templum suis sumptibus non restitutum, nullum Claustrum suis redditibus non excitatum. Nostrum quoque Carmelum penè collabentem, & ruinas prorsus minitantem, summa omnium admiratione, summàque sui liberalitate, parietem ipsum funditus erigendo, restituit, reficitque. Illud vero immortale, & omnium gentium, omniumque sæculorum prædicatione celebrandum beneficium, quo Carmelum perpetuò honestavit, quis umquam satis laudaverit. Pluribus erat sæculis conjuncta cum Carmelo Majori Neapolis nostra Provincia, ad quam dissociationem procurandam, votorum metam non attigère, tot labores, tot ærumnę, tot itinera, tot sudores, quos paucis abhinc annis nostri subje-

re

re majores, Benedictus denique XIII. motu proprio, suaque authoritate per Apostolicum diploma, hanc diremit societatem, & quod admirationem ipsam evincit, Provincialia adhuc comitia in suo Archiepiscopio propriis sumptibus celebrari mandavit. Oh Benedictum verè omnibus sęculis admirandum! Oh Pontificem omni plausu, omnique ore perpetuo laudibus celebrandum! Quę obsequia, animique significationem prò tam magna, admirabilique beneficentia, tibi umquam referre poterit Carmelus, Beatissimæ Pater. Quot enim ex hac disiunctione omnium utilitates, omnium bona, omnium commoda, omniumque rerum fælicitatem exponere incongruum djudicatur. Quarè huc tandem cum adveneritis, Patres amplissimi, omni prorsus virtute, omnique morum integritate excultum ad totius ornamentum Provinciæ, & decus vobis eligendum Prælatum, in dubium non revocatur. Magnum quidem tutamen, magnumque fulcimentum ad rectam muneris dignitatem habendam, morum integritas, cæterarumque specimen virtutum in Prælato, cujus facta studiosissimè quilibet speculari non desinit, & illusione profectò circumveniretur quis perpendens periculosum Prælationis opus, absque morum expolitiori ratione, accuratissimoque vivendi genere cum dignitate servari. Præclarissima sunt veluti Specula, ad quæ si quis in consilium adhibeat, componitur: lucentium sunt instar gemmarum, in quibus si apparet næ.us, detractioni patent, & calumniæ. Tanta siquidem est Prælatorum recta institutio, paulatim cognitione factorum se moventium animos exprimenda, ut ne dum imitandam, verum, & sui imaginem inferiores efformandam imediatè proponuntur. Æthyopes olim indecorum arbitrabantur, si Rege monoculo, familiares utraque aspicerent facultate, si claudo ipsi rectè incederent, domestici omnes, eandem partem spontè sua debilitabant, ut Regem suum imitarentur

tur. Dyonisius ille Syracusarum Tyrannus, maximè litteris, ac Philosophiæ nimium affectus, simul hac ejus curam abjecit, omnes proindè quasi Circæis populis transformatos litterarum odium, & oblivio, vitæque mollities occupavit. Dies deficeret, si omnium detrimenta a vitiosis, omniumque utilitates ab integerimis exortas Principibus enumerare instituam. Sole ipso clariùs apertum est, inferiores ad Superiorum motum, propensionemque moveri, eorumque factis, pluris quam dictis se conformare conantes: Quare Claudianus Trajanum suum commendans, ait: nec sic inflectere sensus humanos dicta valent, quam vita Regentis, mobile mutatur semper cum Principe vulgus. Et reverà cui prospicuum non est, censoris munere, superiorem fungi, ab errore siquidem multos revocare, ad perfectionis viam alios adducere, effrænes coercere, omnes animi labes repellere, noxios mulctare arrogantia tumidos demittere, cæterosque probro quolibet adstrictos semper arguere, & increpare. Quid? Quomodo enim Subditos culpæ nota exagitaverit, cum ipse ejusdem culpæ insimulabitur? Nihil turpius, ajebat Cicero, aliis imperare, qui suis prius affectibus imperare nequierit. Alexanter Macedo Pyratam illum non impunè dimisit, quia eadem ipse crimina cum classi per Mare committebat. Superior, qui prius se, quam subditos rectificare non curat, erit veluti qui umbram curam restificare conatur, priusquam virga curva umbram faciens recta fiat. Si quis igitur est, quales, plerosque omnes ex hoc plæcarissimo, ornatissimoque consessu esse comperimus, qui singulare profecto exemplar, qui, sivè in prosperis, sivè in adversis incommutabilem quidem animum, qui vitæ integritatem, morumque honestatem, bonorum authoritate probatam custodierit, qui veram animi magnitudinem in ignoscendis injuriis indicaverit, quique simulatæ virtutis affectator non extiterit, horum demum mores aptissimi sunt ad perso-

ſonam illius, cui hujuſce noſtræ Provinciæ nunc erectæ regimen, adminiſtratioque tribuatur, ſuſtinendam. Philoſophorum inſtruimur ſenſu, sinè colore ullo oculos naturam efformaſſe, ad colores omnes proſpiciendos, quorum aliquem ſi haberent, ejuſdem omnia rationis eos videre, non eſt qui ambigat Patres ampliſſimi. Ecquis inficiari audebit, Prælatos, qui ſocietatis cujuslibet ſunt oculi, ſi alicujus inordinati affectus colore laboraverint, omnia juxta illum affectu n diudicare non pudebit: Non enim minus afficit cor affectus, quam oculum color. Quid inquam, de Cœlo, cujus influxibus ſublunarem hanc molem moderari experimento probatur, non peregrina commoveri impreſſione, non Terrę vaporibus maculari, non Sęvientibus tempeſtatum fluctibus jactari, nō furentium ventorum turbine agitari, non aeris intemperie, non elementorum, non denique qualitatum alteratione perturbari. Prælati in ſubditos influentes, omni inordinati affectus, animique perturbatione immunes prorſus eſſe, pro certo habetur. E' cordis quidem aditu coercenda procul eſt omnis concivium propenſio, omnis amicorum obteſtatio, omne conſanguinitatis vinculum, verum conſtanti animo in omnibus dubietatibus reſolvendis, in negotiis adhibendis, in legibus ordinandis, cæteriſque rebus agendis, ut ſuum munus cum dignitate ſuſtineat, legum rectitudinem reſpiciat, virtutem ſervet, moderetur ſapientia, Juſtitia comitetur, Prudentia dirigat: Non illa, que multa ſimulare, multa mentiri didicerit, verum illa, que quid petendum, fugiendumque ſit, & quibus viis, tum ipſe eò pervenire, tum alios eòdem perducere commodiſſimè poſſit, agnoſcat. Nihil temerè, atque inconſideratè agere, ſed unaquaque in rè, quid rerum, perſonarum, locorum, temporum varietas poſtulet, diudicare. Illa ſiquidem prudentia, quæ cum ſæveritate benignitatem comitetur, nec impunitatem cul-

pæ

pæ obnoxii consequantur, nec virtutum cultores meritis dehonostentur honoribus. Nullum profecto est durabile Regnum, ubi non est honos virtuti, nec improbis pæna, & horum quilibet defectus plaga insanabilis, ulcus pestilens nulla medicina curandum. Ea vero sit justitia, que pietatem non repellat, nec pietas justitiæ regulas corrumpat, moderantibus tamen artium facultate, ac disciplina, de qua dici umquam potest, quanto ornamento Prælatis omnibus sit: Quomodo enim inferioribus jura describere, plurium sæpissimè interse dissidia componere, verba publicè favore, legationes cum laude gerere, præterita tenere, futura respicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit videre, & ex aliis alia colligere poterit, nisi qui litterarum tractationem habuerit? Nisi vero eorum recipienda sententia sit, qui fieri putant posse, ut qui societati alicui præsit, quamvis ipsarum expers, aliena opera non incomodè utatur. An verò T. Manlium Torquatum memoriæ proditum est, cum fuisset Consul proclamatus, oculorum valetudinem excusasse, & summum imperium detrectasse, indignumque duceret, ei capita, & cæterorum fortunas committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur. Oculorum quidem lumine carentes, nihil prohibet ingenii acie futura prospicere, optimeque rebus omnibus consulere, rationis vero luce cum careat animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid expendere præclarum potest? Sustentari ullo modo cum dignitate nequit, Patres Amplissimi regiminis munus sine litterarum tractatione, tunc quidem, dicere solebat doctissimus Plato, res publicas beatas fore, cum eas, aut Phylosophicæ pissent regere, aut qui regerent Philosophari. Non ignorabat præclarus vir disciplinæ studium, & cautum in rebus agendis, & vigilem in providendis subditorum necessitatibus, Prælatum reddere. Qui enim publico nati sunt bono,

non

non ipsis tantum consulere, & propriæ fortunæ prospicere, verum, & alteri vivere necesse est; Non tantum præesse, quam prodesse cujusque reipublicæ eligitur Gubernator; Ideò namque præest, ut provideat, ut consulat, ut servet, & proprio incomodo subditorum lucretur emolumentum: Non enim Regnum propter Regem, verum Rex propter Regnum est institutum. Quare omne semper consilium, omnem curam, omnemque prorsus laborem adhibendum in subditorum utilitatibus procurandis ipsorumque commodis augendis, itaut omnium somnos illius vigilantia, omnium otium illius sudor, omnium delicias illius industria, omnium vacationes illus occupatio compatiatur. Non immeritò jussit Deus opt: Max: tunicam, qua summus indueretur Sacerdos oculatam fieri, qua veluti Argos ad Populi custodiam evigilaret. Ità siquidem est P.P. amplissimi veritatem omnium sæculorum experimento probatam, medicos se agnoscentes Prælatos pharmacum ægris semper propinare. Incongruum sanè esset, gubernatorem omni arte præstantem, fluctibus jactatam navim derelinquere, vel medica apprimè expertem facultatè male affecto curationem non facere, aut Pastoris munere fungi, & ovium jacturam despicatum habere: Rectè totius Greciæ Poeta dicebat: nō decet consiliariū solidā dormire noctē; Sicut enim terræ sol, sicuti plantę irrigatio ita in superiori prò Societatis, subditorumque emolumento vigilantia. Hæc est virtus illa, qua conferuntur Prælati Deo, qui si aliquando dormiret, non esset Deus, quidam ajebat Philosofus. Quid, inquam, de Ægyptiis oculato sceptro jura pręscribentibus: Quid de Epaminonda, dormientibus Thebanis vigilare, vel dormiente de negotiis somniare: Quid denique de Vespasiano referam Cæsare, qui ægerpænè conclamatus Reipublicæ habenas moderabatur, legibus consulebat, legationes audiebat, decreta subscribebat, supplicationesque humanissimè excipiebat, & à tot curis arce-

arcere volenti, respondisse, fertur: Imperatorem stantem mori oportere: oh grave dictum omnium sæculorum admiratione dignissimum! oh verbum omnium Prælatorum pectoribus infigendum! mentibus perpetuò consignandum! Quæ cum ità sint: quo longius in altum evehor P.P. amplissimi, eo mihi amplior, & patentior orationis cursus recluditur, verum & temporis ratio, & vestra singularis prudentia, ut vela contraham, portumque tandem aliquando suscipiam, persuadet; Neque enim credibile est posse, aut me, aut alium quempiam de superioris munere vobiscum melius, aut copiosius, quam unumquemque vestrum secum loqui, & mihi non tam orationis conquirenda copia est quam vestra societas refugienda. Itaque cum tamdiù peroptatæ dissociationis hujusmodi singulare beneficium a Summa Sanctissimi Patris Clementia obtinuerimus, totius Campaniæ fælicis erecta Provincia, tot illustrium virorum fæcundissima parens in manu vestra est, ex vestro nutu pendet, & quid a vobis statuatur, summa cum cura, ac sollicitudine expectat. Illa nos religioni genuit, illa educavit, quæ nunc obsecrat, atque obtestatur, ut affectus, familiaritatis, finis humani, privatę utilitatis, aliarumque rerum obliti, de suo tantum augumento, quo nostrum quoque continetur, excogitemus. Tuum enim est, Ad: Rev: Pater Magister Præses mentem, atque animum omnibus infundere, ut non cæco, ac temerario, ut interdum fit rapiente paucorum motu, verum certo, maturoque judicio Pręlatam ejusmodi Provincialem concordibus suffragiis, quamprimum selectum habeamus, qui dispersa colligat, lapsa erigat, depravata emundet, infirma corroboret, turbulenta componat, qui vitæ honestate Carmeli juga fęcundet, recti regiminis populet floribus, dulcibus deniq; virtutum omnium oneret fructibus. Tuum, inquam, est tuæque utique confert vigilantię, P. Adm. Rev. qui in hac Cāpaniæ fęlicis dissocianda Provincia tot sudores, tot incomo-